

sed leges faciant his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata, nec ab aliquo retractentur: notam infamiae subito eo, qui vel astute ea interpretari voluerit, vel impetrato impugnare rescripto, nec habituro fructum per surreptionem elicitum et iudice, si dissimulaverit, vel ulterius litigantem audierit, vel aliquid allegandum admiserit, et sub quodam ambiguitatis colore ad nos retulerit, triginta librarum auri condemnatione plectendo.—Dat. 8 id. novemb. THEODOSIO A. 11 et VALENTINIANO CAESARE CONSS. 425.

3. Idem, AA. ad senatum.

Leges ut generales ab omnibus aequabiliter in posterum observentur, ut vel missae a nobis ad venerabilem cœtum oratione condantur, vel inserto edicti vocabulo nuncupantur: sive eas nobis spontaneus motus ingesserit, sive precatio, sive relatio, vel lis mota legis occasionem postulaverit. Nam satis est edicti eas nuncupatione censi, vel per omnes populos iudicum programmatibus divulgari: vel expressius continere, quod principes censuerint ea, quae in certis negotiis statuta sunt, similitum quoque causarum fata componere. Sed et si generalis lex vocata est, vel ad omnes iussa est pertinere, vim obtineat edicti: interlutionibus, quas in uno negotio iudicantes protulimus, vel postea profertur, non in commune prejudicantibus: nec his, quae specialiter quibusdam concessa sunt civitatibus, vel provinciis, vel corporibus, ad generalitatem observantiam pertinentibus.—Dat. 8 id. nov. Ravennae, THEODOS. A. 12 et VALENTINIANO A. 2 CONSS. 426.

4. Idem, AA. ad Volusianum P. P.

Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Et oraculo presentis edicti, quod nobis licere non patitur, [aliis] indicamus.—Dat. 3 id. Jun. Ravennae, FLORENTIO ET DIONYSIO CONSS. 429.

5. Idem, AA. Florentio P. P.

Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec poenas insertas legibus evitabit, qui se contra juris sententiam sava prerogativa verborum fraudulenter excusat. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus: ut legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat: ceteraque, quasi expressa ex legis licet voluntate colligere: hoc est, ut ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est: sed et si quid fieri subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus.—§ 1. Secundum itaque praedictam regulam, qua ubique [non] servari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum admitti.—Dat. 7 id. april. Constantinop. THEODOSIO A. 17 et FESTO CONSS. 439.

6. Idem, AA. Florentio P. P.

Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri.—Dat. kal. August. THEODOSIO A. 17 et FESTO CONSS. 439.

7. Idem, AA. Cyro P. P. et consuli designato.

Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari: nisi nominatim, et de praeterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis cautum sit.—Dat. non. april. Constantinop. VALENTINIANO A. 5 et ANATOLIO CONSS. 440.

8. Idem, AA. ad senatum.

Humanum esse probamus, si quid de cetero in publica privatave causa emerit necessarium, quod formam generalem, et antiquis legibus non insertam exposcat, id ab omnibus antea tam proceribus nostri palatii, quam gloriosissimo cœtu vestro, patres conscripti tractari: et si universis tam iudicibus, quam vobis placuerit, tunc legata dictari: et sic ea

7. § 6. in fin. Inst. de iure nat. gent. et civ. l. 1. § ult. D. de const. princ.—8. § 1. vide tamen N. 83, c. ult.—9. L. 7, § 1. infra. h. t.—10. Edict. Justin. 23, c. 1; L. 6, pr. infra. de secundis nupt.—11. Inno vide L. 1, § 1, D. de const. princ.—12. L. 3, infra. de testam.; L. 23, D. de legat. 3; add. L. 4, infra. ad leg. Falcid.; L. 8, § 2, D. de inoff. test. vide tamen L. 21, D. h. t.; N. 105, c. 2, in fin. § ult. in fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.—13. L. 29, l. 30, D. h. t.; L. 6, in fin. D. de verb. sign. add. L. 3, § 5; L. 7, § 5, D. de SC. Maced.; L. 6, § 3, D. de iure patron.; L. 5, D. de don. inter vir. et uxor.—14. Inno vide L. 6, infra. de nuptiis.—15. Vide tamen L. 9, infra. de praed. et al. reb. minor.; L. 55, D. de recept. qui arbitri. add. L. 5, D. de offi. praet.—16. L. 14, § 1, supra. de sacros. eccles.—17. L. 29, D. de verb. obl.—18. § 7. Inst. de mand.—19. L. 7, § 16, D. de pactis; N. 51; conf. tamen L. 1, infra. si ad- vers. vendit.—20. L. 3, § 5, in fin. D. de Carbon. edict.—21. L. 27, infra. de usur.; L. 29,

denuo collectis omnibus recenseri: et cum omnes consenserint, tunc deum in sacro nostri numinis consistorio recitari: ut universorum consensus nostrae serenitatis auctoritate firmetur. Scitote igitur, patres conscripti, non aliter in posterum legem a nostra clementia promulgandam, nisi supradicta forma fuerit observata. Bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperii, et ad nostram gloriam redundare.—Dat. 16 kal. nov. AETIO 5 et SYMMACHO CONSS. 446.

9. Imp. VALENTINIAN. et MARTIANUS AA. ad Palladium P. P.

Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. Si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id [ab] imperatoria interpretatione pateferi, duritiamque legum nostrae humanitati incongruam emendari.—Dat. 6 id. febr. ANTHEMIO CONSS.

10.

Omnes legibus regantur, etiam si ad divinam domum pertineant.—Dat. 8 id. febr. ANTHEMIO A. 2 CONSS. 435.

11. Imp. LEO et ZENO AA.

Cum de novo jure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat: necessaria est tam suggestio iudicantis, quam sententia principalis auctoritas.—Dat. 10 kal. Maii, LEONE juniore A. CONSS. 474.

12. Imp. JUSTINIANUS A. Demostheni P. P.

Si imperialis majestas causam cognitionaliter examinaverit, et partibus cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sint, sciant hanc esse legem non solum illi cause, pro qua producta est, sed et omnibus similibus. Quid enim majus, quid sanctius imperialis est majestate? vel quis tanta superbia fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat: cum et veteris juris conditores, constitutiones, quae ex imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere, aperte dilucideque definiant?—§ 1. Cum igitur et hoc in veteribus legibus invenimus dubitatum, si imperialis sensus legem interpretat est, an oporteat hujusmodi regiam interpretationem obtinere: eorum quidem vanam subtilitatem tam risimus, quam corrigendam esse censuimus. Definimus autem omnem imperatorum legum interpretationem, sive in precibus, sive in iudiciis, sive alio quocunque modo factam, ratam et indubitam haberi: si enim in praesenti leges condere soli imperatori concessum est: et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet: cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oritur, et sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurratur? et quare omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiant nostrae, si non a nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum aenigmata solveat, et omnibus aperte idoneus esse videbitur, nisi is cui soli legislatorem esse concessum est? Explosis itaque his ridiculis ambiguitatibus, tam conditor, quam interpres legum solus imperator juste existimabitur: nihil hac lege derogante veteris juris conditoribus: quia et eis hoc majestas imperialis permisit.—Dat. 6 kal. nov. DECIO V. C. CONSS. 529.

TIT. XV.

DE MANDATIS PRINCIPUM.

1. Imp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. ad Fusignium P. P.

Si quis adserat cum mandatis nostris secretis se venisse; omnes sciant, nemini quicquam nisi quod scriptis probaverit esse credendum: nec ullius dignitate terri, sive ille tribunus, sive notarius, sive comitis proferat dignitatem: sed sacras nostras literas esse quaerendas.—Dat. 15 kal. Jul. HERACLEAE, MEROBAUDE 2 et SATURNINO CONSS. 383.

2. Imp. JUSTINUS et JUSTINIANUS AA.

Sancimus, ne quis clarissimorum nostrorum magistratum maximo-

in fin. infra. de testam.; L. ult. infra. de suis et legit. lib.; L. 23, in fin. infra. mandati; N. 75, c. 9, in fin.; N. 115, c. 1; L. ult. infra. de curat. furios.; L. un. § 15, infra. de eaduc.; L. 65, in fin. infra. de decur. 1, Feud. 55, vers. nos autem. 5. Feud. 19.—22. L. un. § fin. de contract. iudic.—23. L. 21, in fin. supra. de sacros. eccles.; N. 19, circa med. praefat.—24. L. 1, § 4, infra. de edict.; L. 12, infra. de iuris et facti ignor.; N. Leon. 77; non obstat L. 22, in pr. infra. de iure delib.—25. L. 1, supra. h. t.—26. Inno vide L. 31, D. cod.—27. L. 52, D. cod.—28. L. 27, D. de fideic. liber.;—29. L. 10, l. 11, D. h. t.—30. L. 12, l. 15, D. l. 5, collata L. 2, supra. h. t.—31. § 6, Inst. de iure nat. gent. et civ.—32. Inno vide § 4, Inst. d. t.; L. 9, l. h. t.—33. § 8, Inst. de iure nat. gent. et civ.; L. 2, § ult. vers. primus. Dyck-O. J. Tit. XV.—1. N. 17.—2. L. 5, infra. de iure fisci.—3. N. 124, c. 4.

rum, vel mediorem in suis sententiis adscribat, nos divino verbo jussisse aliquid in jus duci aut exhiberi, aut aliquid diversum iudicari ab iis quae apud ipsos sunt: nisi si de iudicis adessoris datione questio sit, aut de recte ferenda sententia. Id si acciderit, volumus ut iudices in suis sententiis mentionem faciant, se non de scripto, sed ore tantum illa aut a nobis accepisse, aut a gloriosissimo questore nostri palatii, aut aliquo spectabili referendariorum. His tantum casibus sine scripto aliquo jussioni nostrae fidem adhiberi volumus.

TIT. XVI.

DE SENATUSCONSULTIS.

1. Imp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. ad Senatum.

Quamvis senatusconsultum perpetuum per se obtineat firmitatem, tamen nostris legibus etiam idem prosequimur: adicientes ut si quisquam speciali supplicatione eliciendum aliquid rescriptum tentaverit, ut transire ei formam liceat statutorum, tertia patrimonii parte multetur, et damnatus ambitus criminis, maneat infamis.—Dat. 7 kal. Aug. HERACLEAE, RICHOMERE ET CLEARCHO CONSS. 384.

TIT. XVII.

VETERI JURE ENUCLEANDO, ET DE AUCTORITATE JURIS PRUDENTIUM, QUI IN DIGESTIS REFERUNTUR.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Triboniano viro eminentissimo questori sacri palatii.

Deo auctore nostrum gubernante imperium, quod nobis a celesti majestate traditum est, et bella feliciter peragimus, et pacem decoramus, et statum reipublicae sustentamus: et ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium: ut neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus, vel nostro ingenio, sed omnem spem ad solam providentiam referamus summæ Trinitatis, unde et mundi totius elementa processerunt, et eorum dispositio in orbem terrarum producta est.—§ 1. Cum itaque nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur, quam legum auctoritas, quae et divinas, et humanas res bene disponit, et omnem iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe Roma condita, et Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut [in] infinitum extendatur, et nullius humane naturae capacitate concludatur, primum nobis fuit studium a sacratissimis retro principibus initium sumere, et eorum constitutiones emendare, et vix dilucida tradere: quatenus in unum Codicem congregate et omni supervacua similitudine, et iniquissima discordia absolute, universis hominibus promptum suae sinceritatis praebant presidium.—§ 2. Hocque opere consummato, in uno volumine, nostro nomine praefulgent, coadunato, cum ex paucis et tenuioribus relevati ad summam, et plenissimam juris emendationem pervenire prolevarimus, et omnem romanam sanctionem et colligere et emendare, et tot auctorum dispersa volumina uno Codice indita ostendere; quod nemo alius neque sperare, neque optare ausus est, res quidem nobis difficillima, imo magis impossibilis videbatur, sed manus ad caelum erectis, et aeterno auxilio invocato, eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui et res penitus desperatas donare, et consummare suae virtutis magnitudine potest.—§ 3. Et ad tuae sinceritatis optimum respeximus ministerium: tibi quoque primo et hoc opus commisimus, ingenii tui documentis, ex nostri Codicis ordinatione acceptis: et jussimus, quos probaveris tam ex facundissimis antecessoribus, quam ex viris disertissimis togatis fori amplissimae sedis, ad sociandum laborem eligere. His itaque collectis, et in nostrum palatium introductis, nobisque tuo testimonio placitis, totam rem faciendam permisimus: ita tamen, ut tui vigilantissimi animi gubernatione res omnis celebratur.

§ 4. Jubemus igitur, vobis antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi principes praebuerunt, libros ad jus romanum pertinentes et legere, et eliminare: ut ex his omnis materia colligatur, nulla, (secundum quod possibile est,) neque similitudine, neque discordia derelicta: sed ex his hoc colligi, quod unum pro omnibus sufficiat. Quia autem et alii libros ad jus perti-

Tit. XVI.—1. Lib. 1, D. 3; N. Leon. 78. Tit. XVII.—1. Proem. Inst. l. 1, l. 2, princ. infra. de offi. praef. praef. Afr.—2. N. Leon. 36.—3. L. 9, in fin. D. de legib.—4. L. 2, princ. infra. h. t.—5. L. 2, § ult. vers. et ut obiter. D. de O. 1.—6. Inno vide L. 2, in pr.; L. 5, in pr. infra. h. t.—7. L. 21, in fin. D. de

mentes scriperunt: quorum scriptura a nullis auctoribus receptae, nec usitatae sunt, neque nos eorum volumina nostram inquietare dignamur sanctionem.—§ 5. Cumque haec materia summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere, et quasi proprium et sanctissimum templum justitiae consecrare: et in libris quinquaginta, et certos titulos totum [jus] digerere, tam secundum nostri Codicis constitutionem, quam edicti perpetui imitationem, prout hoc vobis commodum esse patuerit: ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum: sed his quinquaginta libris totum jus antiquum per mille et quadringentos pene annos confusum, et a nobis purgatum quasi quodam muro vallatum, nihil extra se habeat: omnibus auctoribus juris aequa dignitate pollentibus, et nemini quadam prerogativa servanda: quia non omnes in omnia, sed certi per certa: vel meliores, vel deteriores inveniuntur.—§ 6. Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius et aequius est, judicote, cum possit unius [forsitan] et deterioris sententia et multas et majores in aliqua parte superare. Et ideo ea, quae antea in notis Aemilii Papiniani ex Ulpiano, et Paulo, nec non Marciano adscripta sunt, quae antea nullam vim obtinebant propter honorem et splendidissimi Papiniani, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletionem summi ingenii Papiniani laborum, vel interpretationem necessariam esse perspexeritis; et hoc ponere legis vicem obtinens non mereamini, ut omnes qui relati fuerint in hunc Codicem prudentissimi viri, habeant auctoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta, et a nostro divino fuerint ore profusa: omnia enim merito nostra facimus: quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas: nam qui non subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus invenit.

§ 7. Sed et hoc studiosum vobis esse volumus: ut si quid in veteribus non bene positum libris inveniatis, vel aliquid superfluum, vel minus perfectum, supervacua longitudine semota, et quod imperfectum est, repletis, et omne opus moderatum, et quam pulcherrimum ostendatis. Hoc etiam nihilominus observando: ut, si aliquid in veteribus legibus, vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris imposuerunt, non recte scriptum inveniatis; et hoc reformetis, et ordini moderato tradatis, ut hoc videatur esse verum, et optimum, et quasi ab initio scriptum, quod a vobis electum, et ibi positum fuerit. Et nemo ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat. Cum enim lege antiqua, quae Regia nuncupabatur, omne jus omnique potestas populi romani in imperatoriam translata sunt potestatem: nos vero sanctionem omnem non dividimus in alias, et alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus: quid possit antiquitas nostris legibus abrogare? Et in tantum eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere: ut, si aliter fuerint apud veteres conscripta, in contrarium autem in positione inveniatur, nullum crimen scripturae imputetur, sed nostrae electioni hoc adscribatur.—§ 8. Nulla itaque in omnibus praedicti Codicis membris antinomia (sic enim a vetustate graeco vocabulo nuncupatur) aliquem sibi vindicet locum; sed sit una concordia, una consequentia, adversario nemine constituto.—§ 9. Sed et similitudinem, (secundum quod dictum,) ab hujusmodi consummatione volumus exulare, et ea quae sacratissimis constitutionibus quas in Codice nostro redelegimus, cautae sunt, iterum poni ex veteri jure non concedimus, cum divalium constitutionum sanctio sufficiat ad eorum auctoritatem: nisi forte vel propter divisionem, vel propter repletionem, vel propter pleniorum indaginem hoc contigerit, et hoc tamen perraro, ne ex continuatione hujusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum.—§ 10. Sed et si quae leges in veteribus libris positae, jam in desuetudinem abierunt: nullo modo vobis easdem ponere permittimus; cum haec tantummodo obtinere velimus, quae vel iudiciorum frequentissimus ordo exercitum, vel longa consuetudo hujus aemae urbis comprobavit, secundum Salvii Juliani scripturam, quae indicat debere omnes civitates consuetudinem Romae sequi, [et leges] quae caput est orbis terrarum, non ipsam alias civitates. Romam autem intelligimus non solum veterem, sed etiam regiam nostram quae Deo propitio cum melioribus condita est auguriis.—§ 11. Ideo jubemus dubios istis Codicibus omnia gubernari: uno constitutionum: altero juris enucleati, et in futurum Codicem compositi, vel si quid aliud a nobis fuerit promulgatum institutionum vicem obtinens; ut rudis animus studiosi simpliciter enutritus, facilis ad altioris prudentiae redigatur scientiam.—§ 12. Nostram autem consummationem, quae a nobis Deo adnente componetur, Digestorum vel Pandectarum nomen habere sancimus, nullis juris peritis in posterum audentibus commentarios illi applicare, et verbositate sua supradicti Codicis compendium confundere: quemadmodum

testib.—8. § 6, Inst. de J. N. G. et C.; L. 1, in pr. D. de constit. princ.—9. Const. de nov. Cod. fac. § 2.—10. D. Const. § 2; L. 2, § 15, infra. h. t.—11. L. 32, D. de legib.—12. l. 32.

in antiquioribus [temporibus] factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum jus pene conturbatum est: sed sufficiat per indices tantummodo et titulorum subtilitatem, [quae παρέρητα nuncupantur] quaedam admonitoria ejus facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo. — § 13. Ne autem per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio: jubemus non per simplorum⁴³ captiones et compendiosa anigmata, quae multas per se et per suum vitium antinomias induxerunt, ejusdem Codicis textum conscribi, etiamsi numerus librorum significetur, aut aliud quicquam; nec enim per specialia signa numerorum manifestari, sed per literarum consequentiam explanari concedimus. — § 14. Haec igitur omnia Deo placido facere tua prudentia una cum aliis facundissimis viris studeat; et tam subtili, quam celerissimo fini tradere: ut Codex consummatus, et in quinquaginta libros digestus offeratur in maximam et aeternam rei memoriam, Deique omnipotentis prudentiae argumentum, nostrique imperii vestrique ministerii gloriam. — Dat. 18 kal. Jan. LANFADIO et ORESTE viris clarissimis CONSS. 350.

2. Imp. CAES. FLAV. JUSTINIAN. A. ad Senatium, et omnes populos.

Tanta circa nos divinae humanitatis est providentia, ut semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica aeterna pace sopita, postque Vandalicam gentem ereptam, et Carthagine, immo magis omnem Libyrum romano imperio iterum sociatam; et leges antiquas jam senio praegravatas, per nostram vigilantiam praebuit in novam pulchritudinem, et moderatum pervenire compendium: quod nemo ante nostrum imperium unquam speravit, neque humano ingenio possibile esse penitus existimavit: erat enim mirabile, romanam sanctionem ab urbe condita usque ad nostri imperii tempora, quae pene in mille⁴⁴ et quadringentos annos concurrunt, intestinis praesidiis vacillantes, hocque et in imperiales constitutiones extendentem, in unam reducere consonantiam: ut nihil neque contrarium, neque idem, neque simile in ea inveniatur, et ne geminae leges pro rebus singulis posita usquam appareant: namque hoc celestis quidem providentiae peculiare fuit: humanae vero imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaque more solito ad immortalitatis respeximus praesidium, et summo numine invocato, Deum auctorem et totius operis praesidem fieri optavimus: et omne studium Triboniano⁴⁵ viro excelso, magistro officiorum, et exquestore sacri nostri palatii, et exconsule credidimus, eique omne ministerium hujusmodi ordinationis imposuimus, ut ipse una cum aliis [viris] illustribus et prudentissimis viris nostrum desiderium adimpleret: nostra quoque majestas semper investigando, et perscrutando ea, quae ab his componebantur; quicquid dubium et incertum inveniebatur, hoc numine celestis erecta emendabat, et in competentem formam redigebat. — § 4. Omnia igitur confecta sunt, domino et Deo nostro Jesu Christo possibilitatem tam nobis quam nostris in hoc satellitibus praestante. Et principales quidem constitutiones duodecim libris digestas, jam ante in Codice nostro nomine praefulgentem contulimus. Postea vero maximum opus aggredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera, jam pene confusa et dissoluta, eidem viro excelso permisimus tam colligere, quam certo moderamine tradere. Sed cum omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum duo pene millia librorum esse conscripta, et plus quam⁴⁶ trecentiens decem millia versuum a veteribus effusa: quae necesse [esset] omnia et legere et perscrutari, et ex his si quid optimum fuisset, eligere. Quod celesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est, secundum nostra mandata, quae ab initio ad memoratum virum excelsum fecimus: et in quinquaginta libros omne quod utilissimum erat, collectum est: et omnes ambiguitates decisa, nullo seditioso relicto, nomenque libris imposuimus Digestorum, seu Pandectarum, si omnes disputationes, et decisiones in se habent legitimas, et quod undique fuit collectum, hoc in sinus receperunt, in centum quinquaginta pene millia versuum totum opus consummantes, et in septem partes eos digessimus non perperam, neque sine ratione: sed in numerorum naturam et artem respicientes, et consentaneam eis divisionem partium conficientes. — § 2. Igitur prima quidem pars totius contextus, quae graeco vocabulo *πρωτα* nuncupatur, in quatuor libros seposita est.

§ 3. Secundus autem articulus⁴⁷ septem libros habet qui de iudiciis appellantur. — § 4. In tertia vero congregatione omnia quae de rebus nominantur, contulimus⁴⁸, octo libris eis deputatis. — § 5. Quartus autem locus, qui et totius compositionis quasi quoddam invenitur umbilicum, octo libros suscepit: in quibus omnia quae ad hypothecam⁴⁹ pertinent, reposita sunt, ut non a pignoratitia actione in libris de rebus posita multum distarent. Alio⁵⁰ libro eodem inserto volumine, qui ad iudicium edictum, et redhibitoriam actionem, et duplae stipulationem, quae

43. Cons. ad Antec. 2 s. — 44. L. 1, § 5, supr. h. t. — 45. L. 1, § 5, supr. eod. — 46. L. 5, § 2, infr. eod. — 47. A. Lib. 5, ad fin. 11. — 48. A. 12, ad fin. 19. — 49. Lib. 20. — 20. Lib. 21. — 21. Lib. 22. — 22. Lib. 23, § 28. — 23. Lib. 26, 27. — 24. Lib. 28, 29. — 25. A. Lib.

de evictionibus proposita est, continet: quia haec omnia titulis emptio- num, et venditionum consentanea sunt: et praedictae actiones, quasi pedissequae illarum ab initio processerunt, in vetustioris quidem edicti ordinatione in loca devia, et multo distantia devagantes: per nostram autem providentiam his congregatae: cum oportuerat ea, quae de eodem pene loquantur, in confinio ponere. Alius denique⁵¹ liber post duos primos nobis excogitatus est de usuris, et trajectitiis pecuniis, et de instrumentis et testibus, et probationibus, [necnon praesumptionibus,] et memorati tres singulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt. Post hos si qua de sponsalibus, vel nuptiis, vel dotibus legibus dicta sunt, repositimus, tribus⁵² librorum voluminibus ea concludentes. De tutelis autem, et curationibus geminos⁵³ libros conscripsimus. Et memoratam ordinationem octo librorum, mediam totius operis repositimus, omnia undique tam utilissima quam pulcherrima iura continentem. — § 6. Quintus autem exoritur nobis Digestorum articulus, in quem de testamentis [et⁵⁴] codicillis tam privatorum quam militum, omne quicquid antiquis dictum inveniatur quis repositum, qui de testamentis appellatur. De legatis autem et fideicommissis quinque⁵⁵ librorum numerus adgregatus est. Cumque nihil tam peculiare fuerat, quam [ut] legatis quidem legis Falcidiae narratio, fideicommissis autem senatusconsulti Trebelliani, singulis libris⁵⁶ utriusque eorum applicatis tota pars quinta in novem libros coadunata est. Solum autem senatusconsultum Trebellianum ponendum esse existimavimus: captiosas etenim, et ipsis veteribus odiosas Pegasiani senatusconsulti ambages, et utriusque senatusconsulti ad se tam supervacuas quam scrupulosas diversitates respuentes, totum jus super his positum Trebelliano senatusconsulto adjudicavimus. Sed in his nihil de caducis a nobis memoratum est: ne causa, quae in rebus non prospere gestis, et tristibus temporibus romanis increbuit calamitatibus, bello coalescens civili, in nostris remaneat temporibus, quae favor celestis, et pacis vigor firmavit, et [super] omnes gentes in bellicis [victori] periculis superposuit: ne luctuosum monumentum laeta secula innumbrare concedatur. — § 7. Sexta deinde pars Digestorum exoritur; in qua omnes bonorum possessiones posita sunt, quae ad ingenuos quae ad libertinos respiciunt: ut et jus omne quod de gradibus descendit, legitimaque hereditatis, et omnis ab intestato successio: et Tertullianum, et Orphitianum senatusconsultum, ex quibus mater et filii invicem sibi heredes existunt, in geminos⁵⁷ libros contulimus: bonorum possessionum multitudinem in compendiosum, et manifestissimum ordinem concludentes. Post haec ea quae de operis novi nuntiationibus, damnaeque infecti, et pro aedificiis dirutis, et eorum insidiis, et quae de aqua pluvia arcenda veteribus auctoribus placita sunt: necnon de publicanis, et donationibus tam inter vivos, quam mortis causa conficiendis, cauta legibus invenimus, in librum singularem⁵⁸ deduximus. De manumissionibus autem, et de liberali causa alius⁵⁹ liber respondit: quemadmodum, et de acquisitione tam dominii, quam possessionis, et titulis, qui eam inducunt multae et variae lectiones⁶⁰ uni sunt insertae volumini: alio⁶¹ libro deputato his, qui iudicati, vel in iure confessi sunt: et de bonorum detentionibus, et venditionibus, et ut nequid in fraudem creditorum fiat. Postque haec omnia interdicta glomerata⁶² sunt: et deinceps exceptiones, et de temporum prolixitatibus: et de obligationibus, et actionibus liber⁶³ iterum singularis extenditur: ut praefata sexta pars totius Digestorum, voluminis octo libris definitur.

§ 8. Septimus autem et novissimus articulus Digestorum sex⁶⁴ libris formatus est: in quo de stipulationibus [seu] verborum obligationibus, et fidejussoribus et mandatoribus, nec non novationibus, et solutionibus, et acceptilationibus, et de praetoris stipulationibus, omne quod jus invenitur gemino⁶⁵ volumine inscriptum est, quod in libris antiquis nec numerari possibile fuit. Et post haec duo⁶⁶ terribiles libri positi sunt de delictis privatis, et extraordinariis necnon publicis criminibus, qui omnem continent severitatem, poenarumque atrocitatem. Quibus permixta sunt et ea, quae de audacibus hominibus cauta sunt, qui se celare conantur, et contumaces existunt: et de penis quae condemnatis infliguntur, vel conceduntur: necnon de eorum substantiis. Liber autem⁶⁷ singularis pro appellationibus nobis excogitatus est contra sententias, tam civiles quam criminales causas finientes. Caetera autem omnia quae ad *municipales*, vel de decurionibus, et muneribus, vel publicis operibus, vel nudinis, et pollicitationibus, et diversis cognitionibus [et censibus,] vel significatione verborum veteribus inventa sunt, quaeque regulariter definita in sese recipiunt⁶⁸, quinquagesimus totius consummationis perfectus. — § 9. Quae omnia confecta sunt per virum excelsum necnon prudentissimum magistrum, exquestorem et exconsule Tribonianum, qui similiter eloquentiae, et legitima scientiae artibus decoratus, et in ipsis

50. ad fin. 34. — 26. Lib. 35, 36. — 27. Lib. 37, 38. — 28. Lib. 39. — 29. Lib. 40. — 30. Lib. 41. — 31. Lib. 42. — 32. Lib. 43. — 33. Lib. 44. — 34. A. Lib. 46, ad fin. 50. — 35. Lib. 45, 46. — 36. Lib. 47, 48. — 37. Lib. 49. — 38. Lib. 50.

rerum experimentis emicuit; nihilque majus nec carius nostris unquam jussionibus duxit, necnon per alios viros magnificos, et studiosissimos perfecta sunt, id est, *Constantinum* virum illustrem, comitem sacrarum largitionum, et magistrum scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum; qui semper nobis ex bona opinione et gloria sese commendavit: necnon *Theophilum* virum illustrem, magistrum juris peritum in hac splendidissima civitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem: et *Dorotheum* virum illustrem et facundissimum quaestorium, quem in Berutiensium splendidissima civitate leges discipulis tradentem propter ejus optimam opinionem, et gloriam ad nos deduximus, participemque hujus operis fecimus: sed et *Anatolium* virum illustrem magistrum, qui et ipse apud Berutienses juris interpres constitutus, ad hoc opus allectus est, vir ab antiqua stirpe legitima procedens, et cum pater ejus *Leontius*, et avus *Eudoxius* qui post Patricium inelytae recordationis quaestorium; et antecessorem, et *Leontium* virum gloriosissimum praetorium, consularem, atque Patricium fillum ejus, optimam sui memoriam in legibus reliquerunt, necnon *Cratinum* virum illustrem, et comitem sacrarum largitionum, et optimam antecessorem hujus almae viri constitutum. Qui omnes ad praedictum opus electi sunt, una cum *Stephano*, *Menna*, *Prosdocio*, *Eutholmio*, *Tinotheo*, *Leonide*, *Leontio*, *Platone*, *Jacobo*, *Constantino*, *Johanne*, viris prudentissimis. Qui patroni quidem sunt causarum apud maximam sedem praefecturae quae orientalis praetoris praesidet. Omne autem sua virtutis testimonium divite accipientes, et a nobis ad tanti operis consummationem electi sunt: et cum omnes in unum convenerunt, gubernatione Triboniani viri excelsi, ut tantum opus nobis auctoribus possint conficere, Deo propitio in praedictos quinquaginta libros opus consummatum est. — § 10. Tanta autem a nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina prudentum taciturnitati tradere nullo patiamur modo: sed unusquisque eorum qui auctor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est: hoc tantummodo a nobis effecto; ut si quid in legibus eorum vel supervacuum, vel imperfectum, vel minus idoneum visum est: vel adjectionem, vel deminutionem necessariam accipiat, et restrictissimis tradatur regulis, et in multis similibus, vel contrariis quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est, unaque omnibus auctoritate indulta: ut quicquid ibi scriptum⁶⁹ est, hoc nostrum appareat, et ex nostra voluntate compositum: nemine audente comparare ea quae antiquitas habebat, et quae nostra auctoritas introduxit: quia multa et maxima sunt, quae propter utilitatem rerum transformata sunt; adeo ut etsi principalis constitutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercimus: sed et hoc corrigendum esse putavimus, et in melius restaurandum: nominibus etenim veteribus relictis; quicquid legum veritati decorum et necessarium fuerat, hoc nostris emendationibus servavimus: et propter hanc causam, et si quid inter eos dubitabatur, hoc jam in tutissimam pervenit, quietem, nullo titubante relicto.

§ 11. Sed cum proximum quod ad portandum tanta sapientiae molem non sunt idonei homines rudes, et qui in primis legum vestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant: et aliam mediocrem emendationem praeparandum esse censuimus, ut sub ea colorati, et quasi primitiis omnium imbuti, possint ad penetralia eorum intrare, et formam legum pulcherrimam non convenitibus oculis aspiciere. Et ideo Triboniano viro excelso, qui ad totius operis gubernationem electus est, necnon *Theophilo* et *Dorotheo*, viris illustribus et facundissimis antecessoribus acceritis, mandavimus, quatenus libris quos veteres composuerunt, qui prima legum argumenta continebant, et *Institutiones* vocabantur, separatim collectis, quicquid ex his utile et aptissimum, et undique sit eliminatum, et rebus quae in presenti aetate in usu vertuntur, consentaneum inveniatur, hoc et capere studeant, et quatuor libris reponere, et *totius eruditionis prima fundamenta, atque elementa ponere: quibus juvenes suffulti possint graviora et perfectiora legum scia sustentare*. Admonuimus autem eos, ut memores etiam nostrarum fiant constitutionum, quas pro emendatione juris promulgavimus, et in confectione institutionum etiam eadem emendatione ponere non morentur: ut sit manifestum, et quid antea vacillabat, et quid postea in stabilitatem reductum est. Quod opus ab his perfectum, ut nobis oblatum et relectum est, et prono suscepimus animo, et nostris sensibus non indignum esse judicavimus: et praedictos *libros constitutionum* vicem habere jussimus: quod et in oratione nostra, quam eisdem libris praeposuimus, apertius declaratur.

§ 12. Omni igitur romani juris dispositione composita, et in tribus voluminibus, id est, Institutionum, et Digestorum, seu Pandectarum, necnon Constitutionum, perfecta, et in tribus annis consummata; quae ut

39. L. 1, § 7, in fin. supr. h. t. — 40. L. 5, § 15, infr. eod. — 41. L. 1, § 8, supr. eod. —

primum separari cepit, neque in totum decennium compleri sperabatur: omnipotenti Deo et hanc operam ad hominum sustentationem piis obtulimus animis, uberesque gratias maxime Deitati reddidimus, quae nobis praestitit, et bella feliciter agere, et honesta pace perpetuari, et non tantum nostro, sed etiam omni aetate, tam instanti quam posteriori leges optimas ponere. — § 13. Omnibus itaque hominibus eandem sanctionem manifestam facere, necessarium esse perspeximus: ut sit eis cognitum, quanta confusione et infinitate absoluti, in quam moderationem et legitimam veritatem pervenerint; legesque in posterum habeant, tam directas, quam compendiosas, omnibusque in promptu positas, et ad possidendi liberos earum facilitatem idoneas: ut non mole divitiarum expensa possint homines supervacuae legum multitudinis adipisci volumina, sed vilissima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus, quam tenuioribus, minimo pretio magna prudentia reparanda. — § 14. Si quid autem⁷⁰ in tanta legum compositione quae ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan raro inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet: sed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter inest, hoc inscribat: quia omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis est: quod et a majoribus dictum est: deinde sciat quod similitudo in quibusdam et his brevissimis adsumpta non inutilis est: et nec citra nostrum propositum hoc subsequendum: aut enim ita lex necessaria erat, ut diversis titulis propter rerum cognitionem applicari eam oporteat: aut cum fuerat aliis diversis permixta, impossibile erat [eam] per partes detrahi ne totum confunderetur, et in partibus in quibus perfectissima visiones veterum expositae fuerant, quod particulatim in eas fuerat sparsum, hoc dividere ac separare penitus erit incivile: ne tam sensus, quam aures legentium ex hoc perturbentur. Similique modo, si quid principalibus Constitutionibus cautum est, hoc in Digestorum volumine poni nullo concessimus modo: quasi Constitutionum recitatione sufficiente, nisi et hoc raro ex iisdem causis quibus similitudo adsumpta est. — § 15. Contrarium⁷¹ autem aliquid in hoc Codice positum nullum sibi locum vindicabit, nec invenitur: si quis subtili animo diversitatis rationes excutiet, sed est aliquid novum inventum, vel occulte positum, quod dissonantiae querelem dissolvit, et aliam naturam inducit discordiae fines effugientem.

§ 16. Sed et si quid forsitan praetermissum est, quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, et cum idoneum fuerat poni, obscuritate involutum necessario derelictum est: quis hoc reprehendere recto animo possit? primo quidem propter ingenii mortalis exiguitatem: deinde propter ipsius rei vitium, quod multis inutilibus permixtum, nullam sui ad erudendum praebuit copiam: dein quod multo utilius est, pauca idonea effugere, quam multis inutilibus homines praegravare. — § 17. Mirabile autem aliquid ex his libris emerit, quod *multitudo antiqua praesente brevitate paucior invenitur*: homines etenim, qui antea lites agebant, licet multae leges fuerant posita, tamen ex paucis lites perferabant, vel propter inopiam librorum quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam inscitiam, et⁷² voluntate iudicum magis, quam legitima auctoritate lites dirimebantur. In praesenti autem consummatione nostrorum Digestorum e tantis leges collectae sunt voluminibus, quorum et nomina antiquiores homines non dicimus nesciebant, sed nec unquam audiebant, quae omnia collecta sunt substantia amplissima congregata, ut egena quidem antiqua multitudo inveniatur, opulentissima autem brevitatis nostra efficiatur. Antiquae autem sapientiae librorum copiam maxime Tribonianus vir excellentissimus praebuit: in quibus multi fuerant, et ipsi eruditissimis hominibus incogniti: quibus omnibus perlectis, quicquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in optimam nostram compositionem pervenit. Sed hujus operis conditores non solum ea volumina perlegerunt, ex quibus leges posita sunt: sed etiam alia multa, quae isti, nihil vel utile, vel novum in eis invenientes, quod excerptum nostris Digestis applicarent, optimo animo respuerunt. — § 18. Sed quia *divinae quidem res perfectissimae sunt, humani vero juris conditio semper in infinitum decurrit, et nihil est in ea, quod stare perpetuo possit: multas enim formas edere natura novas deproperat*: non desperamus, quaedam postea emergi negotia, quae adhuc legum laqueis non sunt innodata: si quid igitur tale contigerit, augustum imploretur remedium: quia ideo imperialem fortunam rebus humanis Deus praeposuit, ut possit omnia, quae noviter contingunt, et emendare, et componere, et modis et regulis competentibus tradere: et hoc non primum a nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia: cum et ipse *Julianus* legum et edicti perpetui subtilissimus conditor, in suis libris hoc retulit: ut si quid imperfectum inveniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur, et non ipse solus, sed et divus *Hadrianus* in compositione edicti, et senatusconsulti, quod eam

72. *Adde* L. 2, § 5 et 6, D. de O. J.